

3161

LITURGICI.

3162

pore vespertino et matutino perfolvendas. Quibus cum praefigatur Icon Episcopi ante crucem Servatoris flexis genibus precantis, de Possessore *Codicis* conjectes. Licuisset hunc fortasse suo nomine compellare, nisi Insignia *fol. 2.* adpicta, Libro ceterum optime servato et non nisi in fine abrupto, vi extrita fuissent. Invocati in Litanis *Severinus* et *Servatius* *Coloniam* respicere videntur.

DCCCCXXII.

369

Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 49. f. nitidissime exaratus, rubricisque decoratus et olim pertinens ad Bibliothecam Cubiculi *Leopoldi I.* Aug. continet: *Officium Conceptionis Immaculatae Sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae* praevia ejus Icone cum Lemmate: *Tu Humiliasti Sicut Vulneratum Superbum. Psal. LXXXVIII. v. 11.* Officium istud nulla Ecclesiae auctoritate nixum ad privatos duntaxat usus conscriptum est. Novem *Lectionibus* constat e PP. *Tractatibus* depromtis. Per *Octavam* aliae atque aliae adsignantur. *Hymni, Antiphonae* et *Responsoria* generis rhythmici sunt haud admodum felicitis. E duabus *Notis* ei subjectis opinari quis posset, Autorem *Franciscani* fuisse Ordinis. Adhaeret et *Missa* non magis cum ea conspirans, qua utitur Ecclesia, quam ipsum *Breviarium*. Hujus initium est: *Ad Vesperas Antiphona. Rex immensae Potestatis Hortum sibi voluptatis*
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

nouo plantat ordine &c. Illius: *Introitus. Laetentur coeli et exultet terra Virginis Deiparae gloriosissimam extollentes Conceptionem &c.* *Negotium*; quod *Leopoldo* Aug. propter *Officium de immaculata Conceptione* cum *Immaculato XI.* P. R. fuit, narratur in *Avrignii Memoires Chronolog. T. II. p. 65.* ad an. 1678.

DCCCCXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 680 XVII. Folior. 15. 4. eleganter exaratus inscribitur: *De Quindecim Rosarij Mysterijs Gaudiosis, Dolorosis, Gloriosis iuxta exemplum Virginis cum pietate, fructuque recolendis.* Praeit *Allocutio ad Animam Christianam*; quae orditur: *Ex luce et tenebris dies omnis componitur; aestate et hieme constat omnis annus; nec minus laetis et tristibus humana omnis vita distinguitur &c.* *Mysterium* quodvis constat *Expositione, Documento* et *Affectu*; quibus non inepta suggeruntur. Sed Fasciculus hic non ultra *Mysteria Gaudiosa* progreditur. Utilior certe *Rosarij Methodus*, quam ea, quae granulis decurritur.

DCCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. 793 XVII. Paginar. 475. 8. elegantissime in modum Typorum exaratus, auro, coloribusque speciosus, et ornatus *Picturis X.* majoribus, unaque minore artificiosissimis, inscribitur: *Officium Beatae*
T t Ma-